I. N. J.

ANATOME HYDROPICÆ,

Cum

SCHOLIIS,

SUB SCHEMATE DISSERTATIONIS MEDICÆ,

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI,

Sub PRÆSIDIO

DN. ELIÆ RUDOLPHI CAMERARII,

PHIL. ET MED. DOCT. AC P. P. ORDIN. FACULT. h. t. DECANI, CONSILIARII ET ARCHIATRI WIRTEMBERG.

DN. PATRONI, COGNATI ET PRÆCEPTORIS COLENDISSIMI,

Publico Commilitonum examini submiſsa

à

DAVIDE BROTBECKIO, Tubingenſi,

Ad diem Martii,

Horis Antemeridianis

IN AUDITORIO MEDICO.

TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMEII.

M. DC. XCI.

15

Zl Resp: Faber

VIRIS

Magnifico, Plurimùm Reverendis, Nobilißimis,
Excellentißimis & Amplißimis,

DN. JOH. WOLFGANGO JÄGERO,

S. S. Theol. Licent. Log. & Metaph. P. P. Ordinar. Ducal. Stipend. Ephoro, p. t. RECTORI Academiæ hujus MAGNIFICO.

DN. JOH. ADAMO OSIANDRO,

S. S. Theol. Doctori & Controverſ. Profeſſori Celebratiſſimo, Univerſitatis Cancellario Digniſſimo, Eccleſiæ Præpoſito Vigilantiſſimo.

DN. BURCKHARDO BARDILI,

J. U. D. ac Profeſſori, Conſiliario Wirtembergico, & Supremi Judicii Aulici Aſſeſſori Graviſſimo.

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. & Med. Doctori Experientiſſimo, hujusque Profeſſori celeberrimo, Sereniſſ. Duc. Wirtemb. Conſiliario & Archiatro Meritiſſimo, Facultatis Medicæ, p. t. DECANO Spectatiſſimo, Præſidi hujus Diſp. Graviſſimo.

DN. DAVIDI SCHEINEMANNO,

U. J. Licentiat. Philoſ. Moralis Profeſſori Celeberrimo.

Dnn. Patronis, Mæcenatibus, Promotoribus,
Reſpectivè Avunculo & Conſobrino, omni honoris, obſequii & Obſervantiæ cultu ætatem colendis,

Exercitium hoc Academicum,

In ſtudiorum ſuorum Commendationem
debitæ gratitudinis τεκμήριον,
Ulteriorisque Favoris incitamentum,

offert, dicat, conſecratq;

Cliens devotiſſimus

DAVID BROTBECK.



ANATOME HYDROPICÆ. Febr. Anno 1656.



Atharina Joh. Osvvaldi Agricolæ uxor zu Knübel/ *Præfecturæ Tubingensis, juvenca & cælebs adhuc in ascitem incidit, sed restituta evasit.*

Postmodum maritata jam Anno 1653. recidivam pati cœpit, suspicione tamen, sed inani imprægnationis delusa, eo quod motum aliquem circa umbilicum dextrumque Hypochondrium (als ob etwas lebendiges in ihr wäre) *perciperet; Propterea ab omni Medicinâ tum temporis abstinuit. Accedebat etiam menstruorum primò imminutio, exinde suppressio. Interea ventris Intumescentia pluribus cum Symptomatis incrementum capiebat. Pulsus ante semestre & debilis valdè & exilis erat, urina cruda tenuis & pallida fuere. Urgebat dehinc respirandi difficultas, adeò ut summa quoque præcordiorum angustia, & compressio tandem accesserint. Dolor ad hæc gravativus dextri Hypochondrii, sitis ac stranguria affligebant. Totum corpus macie consumptum jacuit, pedes autem cum ventre hydropico humore repleti distentique fuere. Ad summum ægritudinis ubi pervenit, cibum potumque ingestum reluctante spiritu (ob epiglottidis dubio procul exiccationem) per os & nares tussiendo excussit, donec omni spiritu, succo & sanguine spoliata, triennalem ferme morbum cum morte tandem commutavit. Maritus quidem, varios hinc inde cum Medicos, tum Agyrtas consulturus accessit, Consilia tamen & remedia quælibet morbi violentia eludebat.*

Suscepta itaque post fata sua sectione, abdomen cultro primum pertusum, copiosam profudit seri colluviem, subpallidam, non ad modum fætentem, peritoneum inter ac intestina immediatè inclusam, Imasque duas, h. e. 20. mensuras nostrates propè adæquantem.

Intestina & viscera, exceptis renibus, sevacea adipe quadam (steatomatis instar, non quâ colorem modo, sed & quâ substantiam talis, nec tamen propriâ sede locati, sed per abdominis partes latè diducti) incrustata latebant, adeò ut Omentum distinctim non apparens huic sese implicasse videretur. Omnes etenim ventris infimi partes hydropicæ sentinæ immediatè innatabant, defensæ tamen ab omni injuriâ, beneficio adipis sui, qui cultro scissus digitalem crassitiem, intestinis circum circa penè, obductam, simulque comprimentem adæquabat, ita ut fæcibus pertranseundis vix angustus pateret ceu per angiportum transitus.

Stomachus cataphractâ eadem sebacea vestitus corrugare se nequiit, proque chylo mucilaginem quandam viscidam, fuscamque, sed paucam exhibuit. Hepar Diaphragmati mediante adipe illo arctè adnatum adhærebat, parenchyma verò exangue, semiputridum, contractum ac subnigrum apparebat.

Pariter & Lien squalidus, uliginosus, flaccidusque erat, Pancreas verò ac Mesenterium sive adipi im̃ersa sive exsiccata ac consumpta quasi, oculos effugiebant

Uterus itidem, more Ventriculi, sevo involutus & corrugatus latebat, cavitate suâ absque ullo contento purâ existente ac liberâ.

Solos Renes, testes & vesicam præ reliquis immunes, nec adipe obsitas vidimus. Renum tamen sinister dextro adhucdum integrior erat.

Thorace abhinc aperto, omni aquâ destitum hunc reperiebamus.

Pulmones circum circa costis ac Diaphragmati agglutinatos deprehendimus; erant autem per extimam superficiem, grandinosis tuberculis, aut granis quibusdam albis, duris ac sebaceis, margaritarum instar consiti ac respersi; plus tamen in iisdem quam in Jecore ac Liene sanguinis erat reliquum.

Cor pericardio planè denudatum erat, ut ab ortu ipsi contigisse videretur, quod & semel à Columbo observatum. Dexter ejus thalamus circa venæ Arteriosæ orificium, sive Auricula ipsa potius, anevrismatis modo distenta erat, sine tamen duritie aliquâ resistente. Sinister sinus durior crassior & tumentior erat. In illo sanguis adhucdum purpureus, in hoc autem quadantenus grumosus, subniger, suffocatus paucusque conspiciebatur. Frustulum quoque adiposum, subluteum molle ac lentum (cujus ceu inventu rarissimi C.Bartholinus ex Bauhino mentionem fecit.) in duos ramos tanquam digitos longiusculos abiens, inque truncorum cavitatem se insinuans, ipsis arteriæ Venosæ Aortæq; ostiis fixè inhærebat, eaq; occludendo sanguinis in & effluxum, vel omnino impediebat, vel plurimum sanè retardabat.

Hinc arteriæ distruncatæ, nil sanguinis profundebant, sed velut de sinistro cordis Ventriculo dictum, crasso partimque grumefacto & subnigro, eoque paucissimo imbutæ fuerunt sanguine.

Venæ contra succi pleniores, sanguinem fundebant, præsertim Vena Arteriosa è Corde in pulmones, ut & Arteria Venosa ex iisdem in Cor sese effundentes. Venæ etiam cordis Coronariæ & superficiariæ sanguine aliquo distentæ extabant.

IN NOMINE SACRO-SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

PRÆLOQVIUM.

Ethnicus iste Philosophus *Heraclitus* haud immeritò humanæ miserias Vitæ deplorat, cum eandem multivariis imò centenis ærumnarum speciebus circumscriptam vidit, adeò ut Hippocrates in Epistolâ ad Damagetum datâ jure dixerit, totum hominem à Naturâ morbum esse. Vix enim enatus vagire incipit, imò in ipso utero adhuc latitans materno variis obnoxius est ægritudinibus. Malè siquidem afficiuntur Infantes, Juvenes corripiuntur, supprimuntur & Senes: Jam caput dolet, mox latera discruciantur, modo pectus obruitur: Hic extuberantia, ibi atrophia, isthinc centena affligunt alia, ut adeò ob tot periculorum genera tot morbos, tot metus, tot curas vel Natura melius nihil vitæ brevitate præstitisse *Plinio* videatur. Missis cæteris ac relictis, numeroso eorum ex numero historiam sanè mirabilem inspicere constitui & considerare, Hydropicæ nimirum defunctæ, cultroque Anatomico subjectæ. Hanc ergò Historiam à Beato meo *Parente* per plurimos annos in hâc Academiâ Medicinæ Professore Ordinario Famigeratissimo, mulierem descriptam secante, notatam & inter ejus Manuscripta repertam pensitatione oppidò dignam, Excellentissimi Dn. *Præsidis*, Patroni ac Præceptoris Parentis loco sanctè colendi suasu, pro Themate Speciminis & Exercitii Academici per *Scholia* exponere non dubitavi. Faxit supremum in Cœlis Numen, ut hi mei conatus finem sibi præfixum, qui Divini sui Nominis Gloria est, proximique languentis Levamen, ex voto consequantur.

SCHOLIA.

Continet Historia prægressa, recensens observata in sectione Hydropicæ, plurima, quæ si cum aliorum observationibus Anatomico-Pathologicis conferantur, hinc inde familiaria occurrunt, quædam, quæ propius ad hanc accedunt, quædam verò valdè rara, de quibus ordine aliquantum turbato, cùm considerationem probè mereantur, primùm dicam.

Intestina & viscera sevacea adipe quadam (steatomatis instar non quâ colorem modo, sed & qua substantiam talis, nec tamen propriâ sede locati, sed per abdominis partes latè diducti) *incrustata latebant)*

rebant.) Comparatur iſta Cruſta, quâ obductæ abdominis partes erant, adipi, ſevo, ſteatomati, non quà colorem modò ſed & quà ſubſtantiam tali, ita, ut iſta nil niſi adeps fuerit, adeoque diverſa â glandulis tumefactis, nonnunquam in abdomine hydropicorum hinc inde inſtar nucleorum, globulorum, racemorum copioſis, partes tum naturaliter glanduloſas, tum viſibilibus glandulis deſtitutas obſidentibus, quæ aliàs quoque continuari & in latum ſe extendere notantur, conſiſtentiâ modò duriore, modò minus & ad putrilaginem declinante. Comparatur non â Plebejo, & comparationes atque deſcriptiones incongruans inſtituere ſolito, ſed â Medico non vulgari autopte. Inquiramus igitur in pinguedinis ſeu adipis naturam & originem brevibus, non ignari quidem diſtingui aliâs hæc duo, quòd adeps pinguedine durior & ſiccior ſit, difficulter liqueſcat, & fuſus ſeu liquatus mox iterum concreſcat. *Experientiſs. Malpighius* circa adipem ſollicitus undiquaque circumſpicit, ut originem quandam peculiaribus inomento à ſe detectis *adipoſis corporibus* inveniat. Primò non abs re judicat dubitare de fibris quibusdam *Lienis*, an poſſint eſſe prima radix & ſaltem eorundem communicata ſoboles. Secundò, cum in *Ventriculo* non deficiat materia pro propagandâ pinguedine, non improbabile putat, vaſa quoque ibidem adeſſe pro hâc propagandâ & ad partes deducendâ, adeò, ut ſi hujus oleoſæ portionis loco per vaſa, quæ adipoſa deberent eſſe naturaliter, fluat aqua, ſequantur hydatides & hydrops; Tertiò binis exaratis partibus, tertiam pari probabilitate philoſophatus addit *glandularum* per univerſum corpus diſperſum genus, quod in pinguedine luxuriat, plurimum quoque pinguedinis reddere ſolet, imô cujus intimam ſubſtantiam adipoſa vaſa ſubintrare ipſe obſervaverit, cum nec vaſa pro materia, ſ. nervi, arteriæ ſ. lacteæ hîc deficiant: Hinc minima vaſa ab arteriis & venis obſervat, quæ pinguedinis lobos penetrant, iisque nectuntur, dubiumque de adipoſis vaſis ab omento veluti radice per totum corpus deducendis dubius ipſe proponit. *Celeb. Cranen Tr. de Homine* pinguedinem circa *cor* & *lactea vaſa* derivat à ramoſis pinguibus è contentis liquoribus tranſpirantibus particulis, quæ tempore ſanguinis ebullientis, quo cor extenditur & poroſius redditur, poros iſtos ſubeunt, ſed remoram patiuntur â membrana cor ipſum undique cingente, adeo ut illic hærendo, accedentibusque â tergo aliis, inter ſeſe implicentur, & tractù temporis illic partem adipis

con-

constituant, simili modo ac circa lactea colligatur idem, dum ramosæ & flexiles chyli particulæ exhalant & transeunt poros membranæ illorum tenuis & delicatulæ, ibique ob minorem calorem hærent: Quæ autem aqueæ tum temporis è corde exeunt partes, juxta eundem Authorem à membranâ retardantur & coagulantur, in liquorem pericardii, uti quoq; naturales abdominis vapores occlusis peritonei & vesicæ poris in aquam converti & hydropem causari soleant. *Vero simile* nobis videtur, respiciendo ad fontem, *ipsam Sanguineam Massam*, prout eò in corpore tendunt omnia, inde quoque ad partes omnes dispensantur, pro pinguedine quoq; partium congruam continere & largiri debitam materiam, in ea quippe præter aqueas, serosas, similesq; partes, alias quoque huic coagulationi aptas deprehendimus; *Chylus* ipse ei comixtus cum eo per corpus abit & ad partes singulas appellit, donec sufficienter repetitis filtrationibus & depurationibus indolem suam exuat & purpurâ sanguinis induatur: Hanc *Adipis originē* servamus tam diu, donec à chylo in primis viis clarius deduci possit ab Aliis. Particulæ ipsæ pro adipe determinari solent oleosæ, pingues, à figurâ suâ ramosæ, facilè implicabiles, quæ cùm abundent in ipsâ masŝâ chylosâ, nec in ipso sanguine deficiunt, ut autem hoc modo concrescere possint, salinum superveniens requirunt principium. *Clar. Nehem. Grevv. disc. de Mixtione*, insigni conatu imitari studet producta naturæ, adeò ut non sit generatio corporum inorganicorum, quam non possit, ex ipsius mente, imitari potestas mixtionis. E regno animali exempli loco ponit *pinguedinem*, quæ fieri possit ita: *Recipe oleum olivarum & affunde illud rectificato spiritui Nitri, digerendo ea ad dies aliquot. Gradatim oleum acquirit colorem medullæ & tandem congelatur aut induratur in pinguedinem albam aut butyrum, qui tantum solvitur per ignem, ut pinguedo animalium* &c. Hinc etiam deducit, ipsam animalis pinguedinem esse saltem coctionem partium oleosarum sanguinis, sive â quibusdam propriarum ejus partium salinarum, sive à nitrosis aëris partibus cum iis mixtis productam. *Cl. Wolfius* tamen *diss. de obes. exuper. p. 40. Qui Chymicis*, inquit, *misturis aut demonstrationibus mediante acido institutis dilucidare conantur pinguedinis genesin, faciunt quod possunt, id est, simile quoddam tradunt; cujusmodi præceptis vel dictis tamen Natura non semper pro nutu & voluntate nostra se accommodat.* Medium ipsum per quod è sanguine transeant istiusmodi partes, an parvulæ in membranarum

cellu-

cellulis suspensæ *glandulæ* oleosum istum liquorē filtrent, an alia sacculorum, globulorum pinguium & congeriei illius membranularum, quæ post liquationem adipis remanent, *textura* atq; dispositio id ipsū præstet, oculi minus determinant; hoc certum est *Malpighio* quoque supra notatum, glandulas copiosas passim pinguedini interspergi; Sic à *Chirurgo* nostrate tumorem aliquot librarum è summo Rustici femore resectum cùm examinaret Exc. D. & Profess. *Camerarius* Junior, integram illam massam nil nisi pinguedinem optimæ notæ plurimis membranis intertextam, vasis haud adeò multis perfusam, magnis autem hinc inde glandulis humiditate pingui turgentibus mediam tumoris substantiam occupatam deprehendit, adeò ut liquatæ axungiæ humanæ è vivo homine libras duas cum dimidia obtineret Chirurgus, superstite post liquationem membranarum & glandularum induratarum maßâ. Add. *Cel. Bohn. Circul. Anatom.* qui secerni in *glandulis* & *pingues* & *caseosas* partes pro obtinenda diaphanâ serositate & splendidâ rubedine existimat. Hæc in statu naturali & ordinario ita perficiuntur. In statu p. n. si vel ipsa sanguinea Massa, ejusque partes, vel viscera in quæ deponi debent, multiplici ratione pervertantur, coagulum tale sub alio atque alio schemate comparere faciunt. Hinc, uti *Celeb. Dolæus Encycl. Chirurg.* de steatomate: *si Materiæ* (chylosæ) *stagnantis cuspides ab acido præsenti per mensium aliquot spatium planè disrumpuntur, vel franguntur, materia commutatur in materiam duriorem, pinguedini bovinæ non absimilem, & sic producitur steatoma, quia acidum figit particulas volatiles:* Ita è simili materia causaq; coagulum illud, quod in casu nostro abdominis partes obduxerat, deducendum judicamus. Accusamus *sanguinem* ejusque partes cum oleosis, pinguibus, crassas, fibrosas, salinas in tubulis, adiposis vesiculis, glandulisque *omenti* propriis, *pancreatis* & *mesenterii* copiosè depositas, ibi præsentibus, vel potius ob impedimentum in motu ibi stagnantes, congestas atque cumulatas, â similibus â tergo urgentibus auctas, hinc partes illas extendentes, in tumorem elevantes, ut tandem disruptis illis latius evagari, vicinas magis obducere, iisque adhærere & implicari debuerint: Nec *chylum* à simili labe immunem agnoscimus, qui, sive mox ab initio crassitie suâ vasa lactea & glandulas obstruendo, sive postmodum malum impeditis viis augendo, & per relictas patulas tum adhuc vias similem materiam sanguini communicando causæ rationem induit. Robur dictis addunt Affe-

ctus

ctus circumstantiæ & similes concretæ in aliis corporis partibus portiones mox etiam exponendæ. Nec dicta hactenus destruuntur ab aliorum observationibus Authorum. Rara quidem est nostra Historia, deprehendimus tamen in multis cum ipsa convenientem à *Cel. Wurfbainio* observatam, in *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 7. obs. 252.* affines quasdam in egregio *Exc. Harderi Apiario*, in quo non modo *tumidas glandulas*, *scirrhum omenti*, *pancreatis* notamus, sed & in specie *hydropem* à scirrho partium glandulosarum, ubi è glandulis mesenterii, quæ mirum modum excreverant, incisione factâ prodiit *substantia albicans instar sebi concreti obs. 71. & Obs. 46. in superficie pulmonum factâ incisione corpuscula subatra & duriuscula copiosissima, instar glandularum gangrænatarum, medietatem verò explebat materia sebacea copiosa, & tantillum renitens;* deducit Ipse scirrhosa steatomata à chylo crassiore crudiore, cujus particulæ sive aggestæ temporis tractu glandulas mesenterii infarcierunt, sive M. H. commixtæ sanguini lymphæque similibus natales præbuerunt, ut deinceps glandularum membranarumque poris subtilioribus, aliis etiam in locis improportionata hærere debuerit, ipsosque diducendo & texturam illorum destruendo factâ ulteriore sui coagmentatione, scirrhos in pancreate, epiploo, thymo, &c. & glandulas induratas, effusaque ex ductibus pulmonalibus, destructis vesicularum areis, hîc quidem steatomata scirrhosa, illic verò partibus aliis adnasci vel gelatinâ obduci fecerit. Similis conditionis fuisse videtur adeps, quem *Vesalius* observasse fertur in Lienis gibbo adornatum, lapidis instar concretum. *Asthma sebaceum* à causâ externâ ortum *Borrichius* curavit; *Vomitus* hypochondriacorum sebaceos notavit *Ludovici*, pinguedinem abdominis mirabilem absque aqua observavit *Fehr*, *Tumorem* in Capite curatum substantiâ Lardo aprugno plane similem *Illustris Dn. Volckamer.* Observarunt & Alii in hydropicis adiposa sebacea tubercula, sed nostra Historia rarius propter adjuncta illius adipis recenset Exemplum, sicut & sequens inter oppidò rara subjungimus.

Cor pericardio planè denudatum erat, ut ab ortu ipsi contigisse videretur) Hoc in *Erinaceo* Naturale est. In *Apiario Laud. Harderi Cel. Sponius* in Juvene derepente denato, cujus cor sine pericardio inventum, ipsum autem flaccidum admodum & facile lacerabile, cum ramosis quoque ventriculorum excrescentiis observasse testatur. Conferri

 ferri

ferri vult *Adr. Spigel. d. Human corp. Fabrica.l. 9. c. 5. Joh. Schenck à Grafenberg Obs. Med. l. 2. Obs. 175.* & *Theoph. Bonet Sep. Anat. l. 2. Sect. 10. obs. 9. D. Georgius Fridericus Francus*, tanto Patre dignus *Filius* in *Exercit. d. Pericardio* sub Præsidio Famigeratiss. *D. Hoffmanni* habita. *Celeb. Peyerus Parerg. Anat. Tert. s. Meth. Hist. Anat. Med.* in cadavere Hydropici pericardium valde crassum, penitusque carnosum deprehendit, intrinsecus superficiei cordis adeò arcte undique adaptatum, adglutinatumve, ut multo demum negotio inde avelli separarique potuerit, nec spatium ullum inter pericardium & cor relictum fuerit, in quo hoc se liberè motitaret, nec humor ullus, qui superficiem cordis humectaret; Causam petit ab exulcerato pericardio cum corde coalescente, eum propè in modum, quo exulceratas palpebras oculi bulbo accrescere accidit. Illud autem, quod ipse de nostrâ Historiâ in *Barthol. Cent. 4. hist. 20.* allegatâ opinari fas esse putat, opinari me prohibet nota Beati mei *Parentis ἀκρίβεια*, & exquisita Circumspectio.

Juvenca adhuc) nec sexus nec ætas ulla in hoc affectu gaudet immunitate, sed canente Vate *Venusino* l. 2. Od. 2. utrobique

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops.

Præter præsens enim hoc nostrum exemplum, plurimæ insuper Practicorum observationes testantur, nullam ætatem fuisse exemptam. *Barth. c. 3. h. 81.* refert puerum vix unum annum natum discessisse hydrope. Similia leguntur apud *River. Cent. 3. obs. 17. Item C. 4. Obs. 37. & 77.* Imò *M. Aur. Sever. l. 4. d. recond. absc. Nat. c. 36.* acerba hydropis illuvie correptum, vix dum vitam, nedum non lucem expertum puellum vidit.

Ascitem) Hoc vocabulum, uti multi Medici Termini, à Græco suos ducit natales, nempè ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ ab utre, quod utris instar corpus sit impletum, *Galeno* in Comment. super Aphor. s. 4. c. 11. Ab Authoribus ratione suæ essentiæ refertur ad morborum genus, & quidem in auctâ magnitudine. Quidam etiam ut symptoma considerant, & quidem ratione consecutionis, quia soboles est cacochymiæ serosæ, & læsam sanguificationem sequitur. *vid. Sennert. l. 3. p. 2. s. 2. c. 3.* Hæc secundum *Hipp. & Jachin.* κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, & refertur ad humidam speciem hydropis, famosior siquidem hujus affectus species est, emensurando scilicet tanti no-

minis

minis pondus. Estque illa, in qua totus venter inferior præcipuè inter peritoneum & intestina liquore aquoso ita abundat, ut instar utris vel ἀσκȣ̃ plenus turgeat.

Restituta evasit) Hydrops non semper Medicorum (potius Medico-Mastigum) est scandalum. Tollitur enim per DEI gratiam Arte Medicâ à multis ægris, cum isti frequenter Artium suarum effectu destituantur: Quis requiret à Medicis, qui solùm DEI & Naturæ Ministri sunt, ut omnes morbos curent?

Recidivam pati cœpit) Gravis ascites semper judicatur, si levata recurrat, quod *Hipp.* innuit dicens: *Hydrops levatus remediis integrè recurrens desperatus est*, unde *Bernh. Gordon.* scribit hydropem recurrentem nunquam curari. *Hipp. l. 2. progn. dicit*: Is qui hydrope correptus superstes esse vult, bonis visceribus debet esse præditus. *Heurnius* calculum suum quoque addit l. 3. Aph. 29. dicens. In curando hydrope absit viscerum corruptio. Quod si verò viscera sint integra, melior adhuc restitutionis superest spes. Hic fuit recidivus Hydrops, quod factum est dubio procul ab aliquâ labe â priori relictâ: Ipse *sanguis* nonnihil sero depauperatus, reliquæ ramosiores & crassiores particulæ copiosiores relictæ fuerunt, *viscerum* tunicæ, glandulæque induratæ, fortè *crusta oleosâ*, gelatinosâ obductæ, quid si & *omentum* cum *pinguedine* suâ involutum & annexum?

Suspicione sed inani imprægnationis) Probâ hîc Medicus circumspectione opus habet ne decipiatur vel inscius decipiat, natura enim fœminarum sæpius à desiderato legitimoque fœtus opere aberrat, ob varia impedimenta, ut postmodum imprægnatio falsò adesse videatur, qualia exempla præter hoc nostrum non pauca passim in Authorum scriptis inveniuntur. Interdum enim *mola* decipit, quâ de re Exemplum præbet *Barth. Cent. 3. h. 1. Fabr. Hild. C. 2. obs. 52.* Interdum *fœminarum venter*, quæ se putabant *gravidas*, iterum detumescit, quâ de re *Barth. obs. legi* potest. Ephem. *Germ. Anno primo inserta.* Imponit interdum, (uti in hâc nostrâ) hydrops, ut graviditas putetur, vid. *Barth. Cent. 3. h. 6.* ubi Anatomen fœminæ proponit, quæ falsò prægnans credita fuerat, ex affluxu multi serosi sanguinis in abdominis cavitatem. Aliud Exemplum *Petrus Pavvius refert hist. 24.* Magis verò deludit mola aquosa, cujus notabilis casus extat apud *Zacutum l. 2. prax. adm. obs. 152.* ubi fœmina quædam per decem dies,

singulis diebus 5. libras aquæ sero lactis similis ex utero deposuit, ventre tandem detumescente.

Als ob etwas Lebendiges in ihr wäre) Motus iste à conclusis ob compressa intestina flatibus oriebatur.

Accedebat Menstruorum imminutio postea suppressio) in plerisque hydropicis fœminis tam ante morbum, quam in ipso morbo fluxum menstruum cessasse Authorum observationes testantur, e. g. *Ephem. Germ. Ann. 3. obs. 170. Ann. 3. obs. 348.* de fœmina referunt quæ nunquam nisi prægnans menstrua patiebatur, tandem hydropica facta periit. *Annus 4. observ. 41.* Virginis Monialis mentionem facit, quæ menstruis cessantibus cœpit sentire dolorem ingentem in inguine dextro, à quo abdomen in ingentem hydropicum tumorem crevit, quo etiam periit. Imminuebatur hîc mensium fluxus, obturante jamdum partiali coagulo destinatas huic excretioni vias tubulosque, & sanguine ob hanc crassitiem cachecticam, ad fermentationem & orgasmum debitum inepto.

Ventris intumescentia incrementum capiebat) ob partim tumescentium partium & glandularum p. n. augmentum, partim sensim scaturientem aquam.

Respirandi Difficultas) ob copiam aquæ diaphragmati molestam, ob grandinosa tubercula, ob adnascentiam seu agglutinationem pulmonum ad costas & diaphragma, an à nativitate, an ab externâ causâ contigerit nos latet, quæ adnascentia pejorem quoque misellæ reddidit conditionem, & stagnationi materiæ supra accusatæ magis obnoxiam.

Corpus superiùs macie consumptum jacuit.) Quî aliter fieri potuit ob viscerum p. n. constitutionem, ob defectum alimenti, sanguine tandem vappescente?

Pedes autem cum ventre hydropico humore repleti distentiq; fuere) Vide ration. in mox seqq.

Cibum per os & nares reluctante spiritu excussit.) Rationem addit *Beatus* post busta Venerand. *Parens* Epiglottidis exsiccationem, qui in Viro quodam, ut *Excell. Dn. Præses mihi* retulit, fame & tabe ob talem cibi rejectionem enecto post mortem observavit, præter *pulmones* penitus *exiccatos* & lateribus hinc & hinc firmiter *agglutinatos*, *epiglottidem* cum vicinis partibus penitus *exiccatam*.

Agyrtas) non mirum de Rustico; cùm Rusticis superiores & sapientiores haud pauci tales consulant.

Abdomen) hoc plerumque ab Authoribus subjectum adæquatum collectionis materiæ hujus vitiosæ dicitur: *Hipp.* autem *sect. 7. aph. 55.* alium locum, nempè τὸ ἐπίπλοον omentum indicat. Accidit tamen sæpius, ut aqua non in abdominis cavitate, sed vesicis quibusdam, partibus inferioris ventris intus adnatis aut glandulis includatur. Vid. *Strauss. Pal. Med. Maur. Cordeus Comment. 5. in l. de morb. Mul.* Mulieris mentionem facit hydropicæ, in cujus eviscerato cadavere nulla cavitas, in quâ non pendebat vesica loco illi exactè æqualis & conformis, qui suo ambitu ipsam contineret, si quis universas in numerum redigeret, 800. numero superassent. Non huic absimilis historia legenda apud *Elzholtzium* communicata *D. Schenckio* l. 3. obs. suarum. Memorandos hydropis saccati casus recensent *Illust. Schröckius* Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 8. obs. 233. & *Excell. Dn. Preussius* Ann. 7. obs. 141. Occallescunt quoque viscerum membranæ, incrassantur sero spissiore, gelatinoso, concreto in variis fibrarum interstitiis suffunduntur, & coagulum quasi contentis suis obducunt. Tales in cadavere hydropici præcipuarum abdominis partium tunicas *ad digiti dimidii crassitiem* inspissato humore extensas una cum abscessu intra gibbam hepatis partem sibi in *Parisiensi* Nosocomio visas retulit supra laudatus *Exc. D. Camerarius Physicæ Professor Ordinarius* in Academia Patriâ.

Copiosam profudit seri colluviem) Hæc à descripta p. naturali dispositione & adiposâ istâ massâ facilè deducitur; Siquidem & tum, cùm nondum à statu naturali in tantum recesserat, prouti post mortem deprehensum, impediebat *Vasa Sanguinea* in liberâ contenti fluidi circulatione ob compressiones, obstructiones, *Glandulas* in colatorio & secretorio suo munere, *Lactea* & *Lymphatica* in derivatione ad destinata loca præparati in iisdem liquoris, adeò ut multiplici ratione serum coactum fuerit extravasari, *partim* ob injectum quasi venis vinculum & impeditum sanguinis recursum, *partim* tenuissimorum vasculorum extensionem nimiam & disruptionem, *imò* sub coagulo isto plurium obliterationem; quibus addimus ipsum *sanguinem* ob viscera labefactata, ob dyscrasiam & laudabilis chyli denegatam commixtionem sensim magis à statu naturali desciscentem,

vappeſcentem, ad ſeceſſum ſeroſæ portionis facilem, imminutum; quin & ipſas *omenti* & *peritonei* membranas ut partialem quoque liquoris copioſi fontem conſtituant alii, non repugnamus. Hæc autem collecta aqua, productum morbificum, ipſa tamen non minus ad iſtius *cruſtæ adipoſæ* formationem contribuit; Natarunt enim abdominis partes in iſto fluido, & detentæ tamdiu fuerunt ſteatomatoſa illa coagula, donec ſenſim ſenſimque â conſiſtentiâ primùm molliore & oleosâ immutatâ, condenſata atque inſpiſſata fuerunt, ob diuturnam & continuam macerationem, compreſſionem. De aquarum autem iſtarum per inſtituendam paracentheſin eductione præ multis vid. *Exc. Brunner. Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 8. obſ. 100. & Schol.*

Non admodum fœtidam ſubpallidam) primaria nempè & poſtmodum quoque fovens atque continens ſeroſæ colluviei cauſa erat non tam putrilago quarundam infimi ventris partium, ab ulceribus, conſumptionibus aliisque cachexiæ productis, quam ſucci primùm non illaudabilis planè, poſt craſſitie, heterogeneorum commixtione locoque peccantis vitium. Aqua hæc ut plurimum eſt pallida, urinamque refert, unde etiam das gelbe Waſſer vocatur. *Carol. Piſo* tr. d. morb. ex ſer. coll. ort. *Marc. Donat.* Hiſt. Medic. Mirabil. l. 1. cap. 21. luteam ac viridem: *Chriſt. Guarinon.* Conſ. 94. flavam in nigrum vergentem *Fabr. Hild. Cent. 2. Obſ. 57.* loturæ carnium recens mactatarum ſimilem obſervarunt.

Imas duas h. e. viginti Menſuras noſtrates adæquantem) Continet menſuras noſtra uncias 52. *Barth. C. 1. h. 1.* ſemitonnam ſanguinei & quidem fœtidiſſimi ſeri exhauſtum vidit, ex muliere Hydropicâ. *Idem Cent. 3. h. 83.* ex puero vix unum annum nato libras XV. aquæ fœtidæ poſt obitum aperto fluxiſſe teſtatur. *Idem Cent. 4. h. 25.* ſimile exemplum refert.

Omentum diſtinctum non apparuit.) In pluribus aſciticis diſſectis omentum aut planè nullum aut ad minimum putridum apparuit, inſignem paſſum cum aliis partibus putrilaginem & conſumptionem, hincque vel extenuatum vel plane deletum, adeò ut hoc ipſo quibusdam argumentum præbeat pro derivandis ex hoc fonte, quos inter & *Hippocrates* jam fuit, hydropicorum aquis. In hâc noſtrâ ægrâ forſan membrana iſtius à materiâ

iſtâ

iſtâ acri eroſa ac conſumpta fuit, adeps verò illius reliquæ adipoſæ matariæ viſcera incruſtanti ſe immiſcuit. Omentum putridum *Barth. Cent. 1. h. 2.* invenit. Idem *Cent. 3. Obſerv. 83.* Penitus corruptum idem eâdem *Cent. h. 93.* Planè conſumptum *petrus Pavvius, h. 5.* ſimul cum peritoneo idem author *Hiſt. 28. & 29.* conſumptum vidit. Simile Exemplum *Ephem. Germ. Ann. 3. Obſ. 130.* præbent. In Juvene Aſcitico aperto, inſtar aranearum telæ apparuit tenue omentum. *Vid. Ephem Germ. Ann. 3. Obſ. 186. Ann. 4. obſerv. 3.* oſtendit peritoneum, omentum & inteſtina parvis ſcrofulis durioribus inquinata, & valdè inflammata, mucoque quodam plane obſita.

Stomachus cataphractâ eadem ſebaceâ veſtitus corrugare ſe nequiit.) Corrugatio cum non parum Ventriculi actionem juvet, hîc debilitatam fuiſſe præter alias cauſas etiam ob hanc mirum non eſt.

Hepatis parenchyma exangue ſemiputridum, &c. apparuit.) Rariùs absque notabili viſcerum læſione, frequenter causâ, aliquando effectu tantæ contingunt microcoſmi inundationes. Antiqui plerique aquam intercutem ab Hepatis vitio ſolùm fieri, firmiter credebant. Sed defunctâ Jecoris ſanguificatione, opinio hæc etiam ſua fata paſſa. Obſervationes enim plurimæ adſunt, quibus nullum in Hepate apparuit vitium, inciſis poſt fata aſciticis. Sic *Schenck. l. 3. obſerv. 118.* hydropici ſexagenarii mentionem facit, qui nec hepatis, nec ullius viſceris vitio laboravit. Item *Columbus l. 15. Anat.* Hepar ſalvum invenit & *Sennert. l. 3. p. 6. ſ. 2. c. 3. q. 3.* ſtudioſi ſcorbuto & hydrope mortui hepar integrum reperiit. *Riverius* item obſ. 6. & Jacoz. de ruſtico aperto loquitur, cujus corpus diſſectum ingentem aquarum copiam profudit ſalvo tamen Jecore. Hinc *Riverius* ipſe concludit, non omnem hydropem ex hepatis imbecillitate oriri, omninò tamen non excludendum hepar, hoc enim quanquam non ſemper ſolitarium, tamen cum aliis ſangnificationis inſtrumentis hoc malum cauſari poteſt; cùm enim ſanguini inſit aqua, qua diluitur, hæc verò in partium nutrimentum omnis non cedat, neceſſariò in coctione debet ſeparari, hujus enim beneficio, quod in alimentis ineſt ſeroſum, ſeparatur & perficitur. In jecur itaque per ramum arteriæ Cœliacæ dextrum perveniens ſanguis percolatur, ſimulque uti *Bartholinus* vult, ſerum copioſo ſale volatili præditum coquitur atque in vaſa lymphatica ſic dicta derivatur, quæ vel obſtruun-

ſtruuntur, & ſic expurgari, ſeparari que â partibus nutritis & ſanguine aqua nequit, turgent viſcera, artus atque cavitates, copiâ liquorum diſtentæ, vel ob tenuitatem tunicæ â copiâ, vel ejusdem liquoris acrimoniam, vel incumbentibus gravioribus rumpuntur, aquamque in *cavitates* vicinas *abdominis effundunt;* quod ſi robuſtiores ſint tunicæ lymphaticorum, ut diſtendi poſſint & ampliari, vel in ipſis partibus coacervata aqua tunicis viſcerum inſinuetur, veſiculæ excitantur, aqua plenæ, quas *hydatides* vocant, quæ vel immediatè interdum rumpuntur, vel ſine rupturâ interdum ſolâ tunicæ dilatatione temporis progreſſu aquam in abdomen extillant, ventremque attollunt uti voluit *Joh. Bapt. Corteſ.* p. 2. prax. Med. c. de Hydr. Nam ſi membrana obvolvens jecur ſit admodum craſſa & dura & copioſior aqua, fieri illas veſiculas hydatides appellatas in membrana, at ſi rarior fuerit membrana, transcolari aquam per tranſudationem in abdominis cavitatem credidit. Vid. *Barth.* tr. de *Vaſ. Lymph.* in homine invent. c. 4. *Pavvius* hi. 29. nullum & h. 36. ſolummodo paucis ſuperſtitibus venoſis ductibus, hepar invenit.

Lien ſqualidus, uliginoſus, flaccidusque erat) Contra Veterum quorundam opinionem & hæc obſervatio pugnat, qui aſcitem â ſolo lienis tumore oriri dixerunt, inter quos *Dodonæus*, qui nullius aſcitici corpus ſe apertum vidiſſe affirmat, cujus lien non fuerit tumidus aut magnus, hacque de cauſa ſolum Lienis tumorem ad aſcitis generationem ſufficere. Idem *Carol. Piſo* vult, dicens: *Quisquis attenderit ſeriò Hydropicorum ſectioni, fatebitur unà mecum ultrò tumorem aliquem viſceris alterutrius, ferè unicam eſſe & frequentiſſimum aſcitis parentem;* Sed Lien in hâc noſtrâ ægra flaccidus contrarium dicit, ut & multa alia Exempla; *Cl. Sennert.* ſtudioſi hydropici & ſcorbutici Lienem integerrimum vidit, loco ſupr. cit. Nec non *Veſal.* c. de Liene. Item Joh. *Paſchaſius* l. 3. de morb. Med. c. 34. Quanquam ejus Sympathia non planè rejicienda; Lienis enim actio cum ſit, ſanguinis partem fixiorem copioſo ſero dilutam, per ramulum Cœliacæ ſiniſtrum ſeu ſplenicum à corde & trunco arteriæ transmiſſam, ulteriùs coquere, perficere, ac pro ſanguinis totius fermentatione ac tincturâ, pro ſeparandâ bile in ſanguinem volatilem disponere, eumq; attenuare, huic malo manum præbet. Nam actione tali vitiata, tartareæ ſalinæq; ſcoriæ ſanguini confuſæ manent, nec in hepate, renibus & propter

pter vitia ſeparari queunt, unde in abdomen refluunt, ibiq; ſubſiſtunt. Veſicam aqua plenam duorum pugnorum magnitudine ſub Liene *Coiter* obſervavit. Et veſicas quam plurimas ex Liene ſimiæ expreſſit, integrasque manibus excepit *Plater. l. 3. Obſ. p. 596.* in hydrope lapidoſum omninò *Foreſtus* deprehendit, ſqualidum quoq; *Barthol. Cent. 3. h. 81. & 83.* Idem *Cent. 4. h. 24.* apoſtemate, pureque fœtido refertum invenit. *Pavvius Obſ. 5.* duriſſimum lapidis inſtar & hiſtor. 29. plane nullum hujus veſtigium, iterum 36. hiſt. totum conſumptum vidit.

Meſenterium oculos effugiebat) Tulp. l. 2. c. 32. affirmat, ſe meminiſſe, quòd à ſolo meſenterii ulcere quinquies hic morbus ſibi fuerit viſus, etiam interdum à meſenterii ſteatomate oriri obſervavit, ex ſolâ luxuriantium glandularum protuberantiâ, plerumque cum aquâ, interdum verò, licet rariſſimè, ſine illâ, quod obſervatione hiſtoricâ, in citato cap. confirmat, & aliam huic ſimilem in ſequente ejusdem libri cap. item 34. quoque à veſiculis meſenterii addit. Tubera in meſenterio hydropici inventa leguntur in *Ephem. Germ. Ann. 3. Obſ. 130.*

Soli Renes cum Veſicâ ſalvi conſpiciebantur.) Helmontio ejusque Aſſeclis contraria hæc obſervatio eſt, qui à ſolo Renum Archeo hoc malum ortum ducere, multis rationibus probare conantur, vid. ejus *Tract. d. Tribus princ. Chym. num. 10. & 11.* Hos verò interdum aliquid contribuere ratio ſuadet, hi enim, quicquid inutilis ſeroſi in potu, ſanguine, & corporis ambitu eſt, id per arterias emulgentes, ab officio ſic dictas, translatum ſegregant à ſanguine, deſtillando per carunculas papillares perforatas in ramos ureterum, in pelvem ampliſſimum, ſive ureterem expanſum, & ſic per ureteres demittendo in veſicam. Hinc *Galen. l. 3. de ſympt. cauſ. c. 2.* Ubi renes aut venæ non poſſunt trahere ſerum, in ventrem mittunt, & toti id corpori impartientes, ſubcutaneos hypropis ſtatus inducunt. *Pavvius h. 29.* plane conſumptos reperit & h. 36. unum itidem totum conſumptum.

Pulmones Grandinoſi.) Hæc ſunt tubercula iſta, hîc quoque cum dictis dyſpnœæ, anxietatis, tabis cauſæ, quæ toties accuſat recens de familiari patriæ ſuæ *Phthiſi* Scriptor Anglus *Rich. Mortonus l. 2. cap. 3. l. 3. cap. 1. Cruda* ipſi dicta, quamdiu non inflammantur, ſed eorum materia in *Gypſeam, Steatomatoſam, vel Meliceridum* Naturam excoquitur; Hic in ſpecie de Phthiſi ſcrophulosâ, ubi tumoribus hujusmodi partes frequenter obſiden-

tur, inquit: *In scrophulosâ diathesi sanguis ob præternaturalem acrimoniam jam tanquam coagulatus, atque adeò novum chylum non potens perfectè sibi & partibus solidis adunire, solet eum in circulatione copiosius quam par est deponere in partes glandulosas, ubi vascula non procedunt rectis lineis, ut in musculis, verum spiratim; quo fit ut sanguis majorem remoram & stagnationem in his quam in cæteris partibus efficere soleat, atque adeo secretionem succi nutritii magis copiosam; quo fit quod istæ partes plus quam cæteræ intumescere & indurescere aptæ sint natæ. Quod in cæteris glandulosis partibus, in ipsis etiam pulmonibus accidit, qui glandulis undiquaque innumeris, verùm juxta trachæam atque ejus ramulos magis conspicuis referciuntur, etsi in naturali statu non ita facile percipiantur.*

Auricula dextra Aneurismatis modo distenta.) Exemplum Aneurismatis cordis exhibent iterum *Ephem. Germ. Ann. 1. O. 18.*

Frustulum quoque adiposum, subluteum, molle ac lentum ipsi arteriæ venosæ, aortæque ostiis fixè inhærebat.) *Horst. Tom. 1. p. 134.* monet: *Si dabitur sectio Hydropici aut Phthisici, diligenter cordis ventriculos inspicias, aliquoties enim excrescentiam ramosam per vasa in pulmones delatam vidi. Platerus* etiam in medio corde dissecto, os tribus articulis constans, cavum & arenosâ substantia repletum invenit *l. 3. Observ. p. 636. Pavv. Observ. 5.* in Cordis ventriculo dextro cujusdam hydropici, substantiam quandam pituitosam viscidamque reperit vitellum ovi substantia & colore referentem, ex pituitâ lentâ & viscidâ ibi concretam, aqua quæ hinc effluxit vix duabus urnis contineri potuit. Frustulum illud adiposum vasorum ostiis fixè inhærens, in exposito hactenus casu descriptum non est aliud, quam excrescentia illa ventriculorum cordis, quam *Polypum* ejus communiter vocant Recentiores; non ille quidem *Kerckringii*, qui sanguinis potius grumus & post mortem coagulum est, sed qui in vivo jam corde genitus aliâ consistentiâ in sectionibus cadaverum deprehenditur. Hic utique olim inveniebatur aut describebatur raro; postquam autem quorundam Anatomicorum dexteritate detegi inciperet, nunc quidem notior est, & pro diversitate regionum ac affectuum frequens. De hoc *Bartholinus* passim, in specie *Anat. l. 2.* ubi in corde p. n. reperta adducit, quod *Bauhino* frustula adiposa, *Wormio* carunculæ albicantes, *Erasto* concretio pituitosa, flavescentis instar medullæ, *Vesalio* glandulosa nigri-

gri-

gricansque caro, *Benivenio* frustulum carnis instar mespili, descriptum fuerit; similiter *Diemerbröckio* corpus revera adiposum ac firmum, quod digitorum frictione non dissolvebatur. Cùm corpus hoc adipi in descriptione nostrâ & Aliorum comparetur, meritò de materia ejus quæritur, an revera adiposa sit? *Cl. Zollicoferus disp. de Polyp. Cord.* §. 9. scribit: *Qui causam materialem Polypi adipem seu pinguedinem statuunt, exemplis aliquot particularibus se tueri possunt, ut Cl. Bauhinus Theatro Anat. p. 412. Thom. Barthol. Epist. Med. Cent. 1. 2. Hist. Anat. &c. quorum exemplorum fidem & justam circa ea circumspectionem, uti in dubium vocare non licet, ita nec ex paucis exemplis regulam generalem formare par est, præsertim cùm aliqui horum Virorum per substantiam adipi similem potius, quam per adipem aut pinguedinem se exprimant.* Laudatus *Craanen* quoque l. cit. non *adipem*, non *pituitam*, sed *substantiam sui generis* vocat, productam ex coalitu particularum chyli aut sanguinis viscosarum; Juxta *Laud. Malpighium* quoq; ex fibrosâ sanguinis substantiâ concrescunr, atq; id. in Polypo, quod in fibroso sanguine evenit, elixatus n. in fibras, assatus in membranulas abit, & uterq; olei sulphuris affusione colorem rubiginosum acquirit. Nos hoc ipsum concretum in statu p. n. comproductum agnoscimus, nec dubitamus in genere, pro varia sanguineæ massæ cachecticâ dispositione multum variare debere materiam ipsam, qualitatesque externas: In speciali autem nostro casu verosimile est, eam fuisse *Polypi Materiam* quæ in reliquis partibus obvii steatomatosi coaguli, adeoque cum gelatinosis, fibrosis salinis involutas una fuisse oleosas, pingues, ramosas, eas sub dejecto saguinis vigore, motu minus vivido, ob aptitudinem ad cohæsionem sensim ex minimis filamentis s. fibris succrevisse, & permanente, quin potius aucto eodem sanguinis & partium vitio additione similium portionnm continuò auctas fuisse, magno quidem obstaculo sanguini ex pulmonibus reduci, nec minus eidem hinc ex sinistro ventriculo fibrarum suarum contractione per vias, quæ patulæ esse instar siphonis deberent, ejiciendo. *Polypum* totius venosi generis systema ramulos dispergentem, ita ut exiccatus inserviat pro systematis venosi schematismo in Cane Islandica notavit apud *Thom. Barthol. Eduard. Tyson* simul & in eâdem alterum polypum satis grandem, qui eodem ritu ac in venis per singulas arterias diffundebatur. Fibrosa illa corpora infelicia ægri cordis germina modò hæc modò alia vasa obstruentia

 doctis-

doctissimè pro more describit Venerandus Dn. D. *Wepfer* d. Apoplex. Polyporum hujusmodi exempla in cadaveribus cachecticorum, hydropicorum, subitaneâ morte defunctorum &c. Vid. *apud Laudd. Peyerum, Harderum, Bonetum, Malpighium,* qui in specie polypos familiares notat iis, in quibus *glandulæ* & præcipuæ conglobatæ ita *duritie* laborant, ut animalis Oeconomia harum ministerio privetur, *ut in Virgine*, inquit, *novissimè deprehendi, cui cùm perpetuò defuissent Menstruæ purgationes, ejus pancreas cæteræque minores per abdomen & thoracem dispersæ glandulæ exturgente concretâque materiâ insigniores & duriores redditæ fuerant, in hujus corde Polypi, & aqua in cavitatibus medii & infimi ventris copiosè stagnabat. Quid simile in puellâ observavi, in qua sub ventriculo ad pancreas & in toto abdomine aderant glandularum racemi, nucis instar & in corde globuli velut avellanæ fructus gypseâ quasi materiâ excitati, in hujus etiam corde Polypi stagnabant.*

Sic undiquaque Circulo vitalis liquoris posita impedimenta, sic sufficiens decedentis negata restitutio, sic consumptæ usque magis vires sub tantâ tandem succubuerunt sarcinâ. TANTUM.

P*ATRIS ubique Tibi pietas, doctrinaq; lucem*
Præfert: hanc sequere; hâc itur ad astra viâ.

Amicissimo Domino Affini fausta prec.
JOANNES ULRICUS PREGIZER, D.

ÆMulus es *Patris* (præsentas signa!) beati!
Laus utrumque beat; Das Scholia, *ille* thema.

αὐτοσχεδ. singulari amico & Contubernal. æstimatiss.
JO. WILHELMUS MÜLLER, Med. Stud.
Hoenloico Francus.

F*Elix qui poterit morbi cognoscere causas*
Est Medicus. Curæ sternitur inde Via;
Hydropis fontem, morbi qui reddidit undas
Hic retegis, famæ sternitur inde Via.

Hisce Amico & Contubernali suo applaudere
voluit, debuit
JOH. LUDOVICUS VIGELIUS,
Wetteravus L. L. Stud.